



Politikai
röpiratok.

221

221
2085

S T A T U S
CATHOLICÆ & EVANGELICÆ
RELIGIONUM

IN REGNO HUNGARIÆ
EX SOLENNIBUS PACIFICATIONIBUS,
REGIIS DIPLOMATIBUS
REGNI CONSTITUTIONIBUS
SINCERE DEDUCTUS
ET NOTIS ILLUSTRATUS.

CUM ADNEXIS REFLEXIONIBUS
D E
A P O T A S I A .

O P E R A
IMI Veritatis Cultoris.

*Eugenio Savoia Comiti 1790.
N. 15.*

I 7 9 0.

DE BALLAGI GÉZA.

**Animus in Corpore facer, & æternus est,
eui non possunt injici manus.**

Seneca.

Juncta Salus nostra: miserere mei, tuique.

Ovid.

§ 1.

Negotium Religionis tangens Articulus 22. 1604. cum is extra Diætam, & sine Regnicolarum assensu adjectus fuerit, propterea etiam tollitur Pacificationis Viennensis Art. 1mo.

a.) Omnes articuli sine assensu Evangelicorum contra eos conditi, & omnes Resolutiones extra Diætam in Negotio Religionis emanatæ, Legibus Regni derogantes & contrariæ, suapte nullæ & tollendæ sunt.

b.) Nomine *Evangelicorum* tenore Legum Auguitanæ & Helveticæ Confessioni addicti comprehenduntur.

In **Negotio Religionis Publicæ pro tempore factæ Constitutiones pro non obstantibus declarantur articulo imo. Pacificationis Vienensis.**

a.) **Juramentum per B. Virginem Mariam, & Sanctos, art. 73, 1486. & art. 33. 1492. contentum, velut Evangelicæ Religionis Principiis contrarium: Dies Festi & Festivitates ex Institutione Romanæ Catholicæ Ecclesiæ profuentes; Item art. 54. 1523. 4. 1525. quibus Lutherani Capite plectendi, & comburendi statuebantur, alioquin etiam per art. 5. 6. 1548. art. 13. 1550. emendati Evangelicis nullatenus obesse possunt.**

b.) **Contra Conscientiam, vel per id, quod quis non credit jurare, est male vel nil jurare.**

c.)

c.) Juxta etiam Catholicæ Religionis Principia, de fide non est, ut per B. V. Mariam, & Sanctos juretur.

d.) Juxta Tit. 40. 2dæ Prælati ad Conscientiæ suæ Puritatem, cæteri vero ad fidem suam Deo debitam adjurandi ordinantur.

e.) Pro Judæis, qui per art. 91. 1647. pro Jurium & Bonorum Regni incapacibus, infidelibus, & nulla conscientia præditis declarantur, Lege art. 36. 3tiæ distincta Juramenti formula juxta eorundem principia præscripta est. Adeoque

f.) Pro Evangelicis Juramentum Religionis eorundem Religionis Principiis cohærens elaborandum, & inarticulandum est.

§ 3.

Omnibus Statibus & ordinibus,
ac Regnicolis, intra ambitum Regni
a 3 liber

liber Religionis usus, & Exercitium admittitur, ita, ut eos in sua Religione & Confessione nusquam & nunquam sua Majestas turbet, nec per alios turbari, aut impediri sinat art. 1 Pacificationis Viennensis.

a.) Religio Libero & Publico Exercitio gaudens *tolerata* dici nequit, quia *tolerata* Exemplo etiam art. 26. 1635. tali Exercitio destituitur.

b.) Liberum hoc Religionis Exercitium, nec seu per Regem, seu ipsum Regnum, minus per quospiam Regnicolarum ulla ratione unquam turbari, & impediri Jure potest; adeoque Regis Resolutio, vel Regni unilateralis Constitutio, quibus hæc Religionis Libertas turbetur, vel impediatur, Jure nec Locum, nec vigorem habet.

c.) Ea, quæ per mutua Pacta, qualia eminenter Publicæ Pacificationes sunt, inter pari paciscendi activitate pol-

pollentes concluduntur, per alterutram partem invita alia restringi & infringi nullatenus possunt.

d.) Exercitium hoc Liberum, dum ad quodpiam *privatum* parte ab una reducitur, Libertas ejus, & genuinus Publici *foederis Sensus*, contra id restringitur, & violatur.

e.) Ea quæ stabilitum Religionis Exercitium impediunt, Sua Majestas vi etiam executivæ Potestatis, ac præassumptæ Obligationis tollere potest, & debet.

§. 4.

Liberum hoc Religionis Exercitium admissum: *absque præjudicio Catholice Romane Religionis*, & ut Clerus, Tempia, & Ecclesiæ Catholicorum Romanorum intacta & Libera permaneant, atque ea, quæ utrinque occupata sunt,

rurfus eisdem restituantur, art. 1. Pacificationis Viennensis.

a.) Per eandem Clausulam, æquilibrium inter Religiones stabilitum est, videlicet ut prout Religioni Evangelicæ admiffa, ita etiam Romanæ Catholicæ Exercitii Libertas ultro salva maneat, ac Clerus, ei competentia Legalia Jura, & Beneficia, Tempia item, utrique Religioni salva & intacta permaneant.

b.) Per Clausulam hanc Libertati Evangelicæ Religionis nullum Impedimentum vel præjudicium seu illatum, seu inferri potuit, sed de securitate Religionis Catholicæ, Cleri, Ecclesiarum ejus, ex superabundanti provisum.

c.) Tam illa Tempia, in quorum usu tum seu Romano-Catholici, seu Evangelici præfuerant intacte relinquenda, quam & omnia a tempore hujus
Paci-

Pacificationis occupata, cum suis Pro-
ventibus Possessoribus suis restitucnda.

§ 5-

Tractatus Pacificationis Viennen-
sis bona fide, ut Tenor ejus testa-
tur, inter Plenipotentiarum Suxæ Maje-
statis Rudolphi, Mathiam quippe Ar-
chi - Ducem Austriæ, & Principem
Transylvaniæ Stephanum Bocskay de
Kis-Maria, eique adhærentes Catholicæ
& Evangelicæ Religionis Ungaros,
adeoque inter Principem & Principem
paciscentes conclusus, præter id, quod
tam per hos, quam & utriusque Par-
tis deputatos Commissarios, Regni pri-
mores, inclusis etiam quatuor Epi-
scopis, nullo interposito resensu, sub-
scriptus & sigillis eorum roboratus
sit, insuper juxta §. 26. Diplomate
quoque ejusdem Regis Rudolphi su-
perinde confecto & emanato, solen-

ni item Ggarantia seu Sponsione Statuum Regni Bohemiæ, Austriæ, Moraviæ, Sylesiæ, Stiria, ac superioris & inferioris Lusatiæ, in perpetuum stabilitus & securifatus est, ut hæc ex §. 26. Actorum Personam ejusdem Domini Bocskay concernentium, Literis Hungarorum ad eosdem Status, & per hos ad eosdem Hungaros datis, clare patent.

Fidejussio & Confæderatio hæc confirmatur art. 12. §. 4. & 17. 1608. ante Coronat. art. 42. 1609. Diplom. anni 1622. art. 2. Cond. 12. anni 1638. art. 1. Condit. 12. anni 1659. art. 1. Condit. 12.

Pacificatio hæc, quia art. 9. & 10. testantibus, etiam ad Sclavoniam Croatiam, ex Dalmatiam extensa est, etiam per Regnorum horum Nuncios & Ablegatos ac Vice-Banum subscriptione, & sigillis eorum roborata est, ut earundem Hungarorum Literarum §. 3. docet.

Paci-

Pacificatio hæc Politicæ quoque Libertatis, & Fundamentalium Regni Jurium maximam partem continet, & ex mutuo Regis & Regni Pacto ea firmat, ut adeo Religionis Evangelicæ, & Regni Libertas eidem inuitatur basi.

§. 6.

Pacificatio Viennensis per art. 1. 1608. ante Corona. art. 77. 1618. Dipl. Ferd. II. anni 1622. art. 2. Condit. 1. & 6. art. 22. 1625. 33. 1630. 29. 1635. Dipl. Ferd. III. anni 1638. art. 1. Condit. 1. & 6. Dipl. Leopoldi 1659. art. 1. Condit. 1. & 6. art. 25. 26. 1681. 21. 1687. art. 1. 2. 30. 1715. art. 2. 3. 1723 & art. 2. 1741. in nexu confirmata est, confirmatio tamen a præatacto 1681. anno, cum restrictivis & prioribus conventis Regni bilateralibus Constitutio-

nibus directe contrariis Clausulis unilateraliter facta est.

§. 7.

Articulus 1. 1608. ante Coronat. Pacificationis Viennensis art. 1mum confirmans declarat; ut sua cujusque Religio & Confessio omnibus Satis & in specifico ibidem designatis Regnicolis eam sponte ac liberé acceptare volentibus, ubique libera, liberumque Religionis Exercitium relinquatur; Nemo in libero ejusdem usu, ac Exercitio a quoquam impediatur, ac ad præcavenda inter Status & Ordines aliqua odia & Diffensiones, quælibet Religio suæ Professionis Superiores seu Superintendentes habeat.

a.) Art. hic per easdem præprovocatas Leges, & Diplomata, quibus Pacificatio Viennensis, subseque confirmatus est.

b.)

b.) Clausula illa: *absque præjudicio Catholicæ Romanæ Religionis*, articulo huic inserta non est.

c.) Religio sponte ac libere acceptanda ordinatur, & omnis coactio excluditur.

d.) Contra eos, qui hanc vel illam exreceptis sponte ac libere acceptare voluerint, ac acceptaverint Religionem, nulla pœna ordinatur, adeoque Evangelicam Religionem amplectens, nec pro Apostata haberi, minus quaquâ ratione ideo puniri potest.

e.) Superiores seu Superintendentes ex Indole sui officii eo fine ordinati sunt, ut suis Ecclesiarum Ministris, eorum Doctrinæ & Moribus, ac Populi ædificationi, aliisque occurrentibus Ecclesiasticis negotiis superintendant, & invigilent, Causas Matrimoniales & connexe Casus Dispensationis, juxta Principia suæ Religionis
 exa-

tas & Æqualitas, prætenſæ Apoſtoliæ
reactum itidem utrinque tollit.

c.) Pacificatio hæc Nelsburgenſis juxta art. 31. & 76. 1622. prout & reliqua Regno data originalia Regum Diplomata, teſtantibus etiam art. 4. 1603. ante Coronat. 75. 1618. 47. 1625. 139. 1647. cum eorum Regeſto & ſigillis per Palatinum in Archivo Regni conſervabantur, ea ratione, ut juxta eundem art. 31. 1622. cuilibet Regnicolarum illa habere volenti in Tranſumpto Palatini extradentur. Diplomata hæc, una cum Leopoldino, quod conficietur, proxime eligendo Palatino, velut inter Regem & Regnum vi art. 6. 1485. ex Officio Mediatori reſignanda erunt.

§. 9.

Juxta art. 5. 1647. Diploma Pacificationis Linczenſis SS. & OO. Regni

etiam observetur, se, & suos successores, Legitimos scilicet Ungariæ Reges §. ultimo obligavit, obligatique sunt.

a.) Pacificatio hæc, non ob nudam Historiam, sed ut juxta præmissam approbationem Publicæ Regni Constitutionis & solennis bilateralis Pacti vigorem imbuat inarticulata est.

b.) Omnis Regni Hungariæ legitimus Rex vi præmissi vinculi, quamprimum fasces Regni adit, ac quamdiu eos tenet, Pacificationes & Constitutiones Religionarias sub fide & Conscientia sua Christiana observare, & observari facere, omnesque abusus Turbationes, & Impedimenta tollere tenetur.

c.) In negotio Religionis velut solennibus bilateralibus Pacificationum Pactis innixo, Contradictio Cleri, & aliorum quorumvis secularium Catholicorum

corum, ac vi art. 14. 1649. etiam Civitatum inactiva & abusiva est, nullumque unquam vigorem habere potest: qualis Contradictio etiam art. 26. §. 23. 1681; & art. 21. 1687. simpliciter rejecta & annihilata est.

§. 10.

Ejusdem Linczensis Pacificationis Puncto imo quoad Negotium Religionis art. 1. 1608. ante Coronat. Diplomatum Regionum condit. 6ta, aliaque eatenus Regni Statuta confirmantur, diversa haecenus Impedimenta & Interpretationes pro non obstantibus declarantur, & Liberum Religionis Exercitium cum libero Templorum, Campanarum, & sepulturae usu stabilitur.

a.) Nulla Impedimenta, nullae Interpretationes & Explanationes, Pacificationum & eis innixarum Regni Constitutionum in Negotio Religionis
edi-

editarum, verbalem & genuinum sensum seu restringentes seu evertentes subsistere possunt, sed suapte per eas enervantur, & tolluntur.

b.) Irrestrictus Templorum, Campanarum, & sepulturæ eius, Publicum Religionis Exercitium firmat, ac cum Religionis Libertate, Templorum quoque ubi ubi necessariorum, Campanarum, & sepulturæ illimitatum & connexum tribuit usum.

c.) Distinctio & Restrictio Templorum ad *articularia*, & *non-articularia Loca*, Leopoldina, seu potius Colonicsiana anni 1691. Explanatioe adinventæ, stabilito Templorum libero usui, ac genuino articularium Constitutionum illa haud distinguenti sensui adversa est.

d.) Sepulturam præcedentia & comitantia, ut sunt libera inratorum etiam in Captivitate detentorum Pro-

visio, & eorum ubi ubi sint imperturbata per Ministros accessio, solennis funeris, ejus Comitiva in quibusvis Civitatibus & Locis, ac his similia, Evangelicis itidem libera, cunctaque in contrarium subsequente inventa Impedimenta, cum suis Partialibus Interpretationibus, quales sunt præcipue annorum 1691. & 1731. Explanationes, qua Jure obstare haud queuntia tollenda.

e.) Tempia sub Regimine Josephi II. ædificata, sub præsidio Pacificationum & Legum salva quidem sunt, ne tamen diversæ Interpretationes orientur, & quoquo modo Impedimento sint, articulariter stabilienda, omni- que cum reliquis plene Publica declaranda.

§. II.

Puncto 2do provocatæ Pacificationis statuitur, ut in libero suæ Religio-

gionis Exercitio & usu per quempiam impediti, coacti, & turbati, liberum Religionis suæ usum reassumere, exercere, & continuare permittantur, neque ad alias Religioni suæ contrarias Cæremonias peragendas compellantur; quoad Cæremonias etiam art. 25. 1681. idem statuente.

a.) Ipsa libertas conscientiæ & Religionis secum fert, ut prout hanc vel illam receptam libere acceptare, ita eandem etiam quam quis prius deseruit, svadente & stimulante duntaxat interna convictione, libere & impune reassumere & exercere integrum sit; quæ Religionis & conscientiæ Libertas per Explanationem anni 1731. 'contra eos, qui ex Evangelicis Catholicam præprimis fidem amplecterentur, dein vero eam deserendo priorem reassumere attentarent gravem arbitrariam Pænam statuentem, læsa & violata est,

adeoque per Sublationem ejus sananda, & redintegranda.

b.) Si ad Cæremonialia, tanto magis ad ea, quæ fidei & Cultus Religiosi actus sunt, peragenda compulsio, indoli, & Libertati Religionis, eamque stabilientibus Regni Constitutionibus repugnat.

c.) Quoad Opifices seu Mechanicos Evangelicos, in Cehis constitutos, ne ad cæremonias Religioni suæ contrarias compellantur, ac mulctati in integrum restituantur, peculiariter provisum art. 8. 1647. Adeoque.

d) Opifices & Mechanici Evangelici prætextu etiam quorumpiam Privilegiorum, velut Publicæ Regni Constitutioni contrariorum ideoque nullorum, ad Festivitates & Processiones Catholicorum nullatenus Jure struigi possunt.

§. 12.

Puncto 3tio concordatum est; ut a Parochiis Evangelicorum, Ecclesiæ Pastores five Concionatores, per quoscunque amoveri, & exturbari neutiquam possint, amoti autem reducantur, vel alii loco ipsorum substituantur.

a.) Pastores Evangelici prout ex Parochiis Evangelicorum amoveri, ita a Functionum Parochialium in quocunque Loco suæ Religionis Consortibus administratione, & talium accessione Jure arceri neutiquam possunt.

b.) Boni Pastoris Officium est, ut Oviculas suas sub vigili Oculo ubique teneat, easque præcipue vero Ope destitutas & infirmas, ubi ubi jaceant accedat, & pro ratione necessitatis ex Officio provideat.

Puncto 4to coalitum in eo; ut Gravamina Negotium Religionis & occupationes Templorum concernentia, in primitus celebranda Regni Diæta, vel amabili Dominorum Regnicolarum Compositione sopiantur, vel auctoritate suæ Majestatis finaliter complantentur, cum Evangelicorum Satisfactione; ac Gravamina talia futuris quoque temporibus singulis Diætis tam ex Parte Evangelicorum, quam & Catholicorum plenarie complantentur absque Injuria Evangelicorum.

a.) Prout Catholicis, ita & Evangelicis Gravamina Religionis suæ singula Diæta, & quidem absque Distinctione communia illa, vel Privata sint, proponere salvum est, confirman-
te id etiam art. 26. §. 23. 1687.

b.) Gravaminum Religionis Complatio primum & Principale singulæ Diætæ objectum est. a.)

c.) Gravamina Religionis non votorum pluralitate, sed vel amica ratione, vel Regia auctoritate comp'lananda, & quidem cum Evangelicorum Sais actione, cui Publicæ Constitutiones, & mutuo Evangelicorum assensu lætæ Leges, non autem arbitrariæ & Evangelicis injuriosæ Explanationes Normam ponunt, ac Regem ad procurandum earundem effectum, & plenam Satisfactionem, harum vero sublationem sub Verbi Regii & Christiana fide stricte obligant.

d.) Romanæ Catholicæ, & Evangelicæ Confessionibus adherentes, duas distinctas æquales & compaciscentes Partes constituunt, illa itaque, quæ mutuo utrinque illarum consensu conclusa & stabilita sunt, etiamsi in una Parte mille vota, in alia vero unum contrarium adsint, hoc singulare illis Millenis virtutis & pondere par est, cum ea, quæ mutuo Pacis-

centium Consensu ligata sunt, non nisi eodem dissolvi & susferri possint; Pluralitate, & Numero Personarum Partes Pacti constituentium in nullam attentionem veniente.

e.) Omnis Gravaminum Evangelici Status sub Diæta, vel extra illam per Regem facta complanatio, quæ Fundamentalibus in Negotio Religionis accordatis Constitutionibus, & Religionis Exercitii Libertati quaqua ratione derogat, & Evangelicis Injuriam infert, mederi, omnisque Injuria, ab iis plene removeri debet.

§. 14.

Eodem Puncto 4. determinatum, ut ad quos Templorum usus spectat, etiam Parochiarum Proventus ad eodem pertineat, occupationes Templorum nullæ ultro fiant, ac utrinque occupata restituantur.

§. 14.

a.) Prout occupatarum, ita etiam desolataram Ecclesiarum, ac Parochiarum, olim ad Evangelicos pertinentium Proventus & pertinentiæ, ampliæ item Scholarum, & aliæ Fundationes, cum medio tempore percepto Usufructu, iisdem Evangelicis restituendæ sunt.

§. 15.

Tractatus & Pacificatio Lincensis, omnesque ejus articuli, prout & ante eam in Negotio Religionis conditi, confirmantur in subsequo Leopoldi Regis Diplomate anni 1659. Condit 1. & 6.

§. 16.

Per art. 6. 1647. Ex occupatis Templis, 90. Evangelicis restitutis, pro structura Templorum, Parochiarum, & Scholarum, Sessiones cum
ea-

earum Pertinentiis, & Exemptione, ita & Cæmeteriorum Loca assignantur.

a.) Tempia hæc 90. in effectum Pacificationis Linczenfis Evangelicis restituta, multo plura autem testante art. 10. 1647. occupantibus Catholicis relicta sunt, quæ 90. Tempia successu temporis per Catholicos rursus a potiori reoccupata.

b.) Vi Religionis Exercitii, & Scholarum stabilitæ Libertatis, ac art. 25. 1681. Professores & Magistros Scholarum introducendi, Studia Humaniora & Altiora omnis generis in iis tradendi, Nobilibus & Ignobilibus talia etiam in exteris Provinciis discendi, ac necessarios Libros, quin hi per Catholicos censurentur edendi, procurandi, & inducendi salvum est, cum finis sine Mediis obtineri nequeat, quæ Principiis cujusvis Religionis conformanda sunt. Sed hæc quoque

que in specifico Legibus salvanda, & determinanda, ac ex ratione etiam boni Publici, Academiæ Evangelicis, si eas errigere valuerint, & voluerint in Regno concedendæ.

§. 17.

Art. 7. 1647. statuitur; ut liberum sit Evangelicis, si voluerint, ad filialem Ecclesiam Religionis suæ Ministrum inducere, & intertenere, vel ad Conciones audiendas alio ire.

a.) Ex Filiali, si necesse, Mater libere effici potest.

b.) Causa Divinorum alio quocunque ubi Tempia, seu privata Sacella sunt, ire omnibus licitum.

c.) Filiales, & quæcunque aliæ Evangelicorum Ecclesiæ, per Explanationes, & Diæcesanos, Plebanis pro Filialibus assignari, & quoad Stolum iis Jure subjici nequeunt.

§. 18.

Juxta art. 10. 1647. in Locis illis, ubi occupata Evangelicorum Tempora iis restituta non sunt, sed præ manibus Catholicorum remanserant (ac juxta art. 26. 1681 in aliis etiam quibusvis Locis) Tempora, Parochias, & Scholas ædificandi potestas Evangelicis tribuitur, ac ut pro talibus per Dominos Terrestres coram V. Comitibus Comitatum, & potioribus Nobilibus pari Numero ex Catholica sicut ex Evangelica Religione iisdem per Univerſitatem Comitatus adjudicandis sufficientes & idonei fundi assignentur, & libertentur, sepultura tamen & Campanarum usu pro iisdem Evangelicis æquali cum Catholicis Taxa communiter deservientibus.

a.) Univerſa Evangelicorum Tempora, seu sint ex occupatis per Catho-
li-

licos iis restituta & restituenda; seu in quorum usu Evangelici continuo & imperturbate manserant; seu per eos subsequente ubi ubi ædificata & ædificanda, uno eodemque *Publico & articulari Jure* gaudent, quod per sic dictam Kolonicsianam anni 1691. & Caroli VI. 1731. Explanations, cum Injuria Evangelicorum, & contra genuinum Legum sensum Distinctione *articularium & non articularium Locorum* posita restrictum & læsum est.

b.) *Æqualitas* illa, ut in obvio Evangelicos tangente Religionis Negotio, ex Catholica & Evangelica Religione pari numero applicentur etiam art. 13. 14. 1647. stabilitur.

c.) Dum casus Repudii, vel Divortii inter diversæ Catholicæ nempe & Evangelicæ Religionis Personas occurrat, vel Actorem Forum Rei sequi, vel Judices ex Catholica & Evangelica Reli-

Religione pari numero, quibus Præses Religionis illius, quam RC. profitetur adjudendus esset, præsentem esse oportet, vel quod maxime expedit, Causæ hæ, una cum Dispensationibus, Judicatu Fori Civilis, salva Appellata, subternendæ, quod Lege determinandum.

d.) Pro Templis, Parochiis, & Scholis Evangelicorum, Parochorum item seu Ministrorum, & Ludi-Magistrorum Intertentione, Fundi & Sessiones, eadem ratione prout pro Catholicis gratis & cum Libertatione iper Dominos Terrestres assignandi & exscindendæ.

§. 19.

Juxta art. prout II. 1647, Evangelici Status Catholicis Plebanis, ita & Status Catholicis Evangelicis Ministris ad
nunas

nullas Solutiones pendendas sunt obligati. Quoad Miseram Plebem art. 12. 1647. æque statutum; ut Auditores Evangelici Solutionem suæ Religionis Ministris pendant, quorum videlicet Ministerio, seu opera usi fuerint, sicut & Catholici Parochis Catholicis: Scholares autem Proventus seu Solutiones, in quibusvis Locis Plebani Catholici, & Ministri Evangelici a suæ Religionis Auditoribus totaliter percipiant: quod etiam art. 26. §. 20 1681. confirmatum.

a.) Plebani Catholici, & Ministri Evangelici, intuitu sui per suæ Religionis Auditores solutionis æquali Jure gaudent, ac ita limites eorum circumscripti, ne unus in alterius messem salcem Jure immittete possit.

Cujus quis Opera utitur, & uti vult, illi etiam solutio pendenda ordinatur, alteri, cujus opera nec deli-

deratur, nec per eum præstatur, ut indebite solvatur, contra etiam Divinum & humanum Jus, ipsamque Christianam Conscientiam est.

c.) Per plurimos Conciliorum & summorum Pontificum Canones, ac S. Patrum Doctrinam, solutio pro Functionibus sacerdotalibus ceu Simoniacæ Hæresis severe vetita est, ac ut Dona Christi gratuita Dispensatione gratis donentur, præceptum.

d.) Juxta S. Ladislai Decr. Lib. 1. Cap. 25. novi Christiani ad id; ut mortuos suos ad Ecclesias sepeliant, sub Pœna duodecim dierum in Pane & aqua Pœnitentiæ in Cippo adstringebantur. Cum hic solutionis cujuscumque pro sepultura nulla fiat mentio, sed & alias ad Paganismum tum proni Christiani, solutione ab exacta suorum in Ecclesia sepultura magis abstracti fuissent, gratis id præstari debuit.

buiffe indubie concluditur. Patet id etiam

e.) Ex Synodo quam Laurentius Archi-Episcopus Strigoniensis cum suis decem suffraganeis sub Rege Colomano instituit, cujus Cap. 43. sancitum: *nullus de Baptismo & sepultura pretium exigat.* Vid. Péterffy in Concil. R. Hung. P. I. p. 59.

f.) Quoad Dispensationem conjugalem, seu Copulam, ejusdem Colomani Dec. Lib. II. Cap. 15. decretum: ut in conspectu Ecclesie modo illic ordinato fiat. Nil hic de quamvis solutione per Personas Matrimonium ineuntes pro ea Sacerdoti prættanda disponitur.

g.) Invaluit in nonnullis Christianis Ecclesiis abusus, ab occisorum sepultura solucioem exigendi. Sed hæc quoque solutio & Exactio tam juxta ejusdem Péterffy Conc. R. H.

P. I. p. 116. quam & Alberti Regis
Decr. anni 1439. art. 39. prohibita
est.

b.) In Synodo Nitriensis Diæce-
sis sub Uladislao II. celebrata Cap. 13.
juxta eundem Péterffy P. I. p. 268.
conclusum: *Prætextu cujuscunque con-
suetudinis sacrum Cbrisma vendere,
vel pro baptisandis infantibus, aut
pro reconciliandis Peccatoribus, vel
infirmis, aut pro testimonio Peniten-
tiæ, vel reconciliationis ferendo, aut pro
mortuis sepeliendis, aut pro Peniten-
tia, aut benedictionibus Nubentium, seu
pro quibusdam aliis Ecclesiasticis Sacra-
mentis, pretium, aut Præmium, vel Pro-
missionem exigere, aut surripere nobite
sed gratis & liberaliter hujusmodi Sa-
cramenta præbete, attendentes quod
Scriptum est, gratis accepistis gratis date.*

i.) In Synodo Provinciali Tyr-
naviæ anno 1611. celebrata Cap. 3. §.

9. apud eundem Péterffy P. II. p. 212. statutum: *Quod si quis ex Dominis Canonicis, vel aliis Personis in dignitate constitutis, ad baptisandum vel copulandum, funus efferendum &c. vocetur, Donaria, quæ offeruntur, Parocho, vel Capellanis Ecclesiæ assignentur. Simile in Synodo anni 1630. Tyrnaviæ celebrata sancitum: Si quis tamen sponte sua Cerae aliquid, pro Candelis, aliudve pium munus Ecclesiæ offerre voluerit, non arceatur. Adeoque*

k.) *Spontanea & libera Christianorum pro Functionibus & actibus sacris oblatio toleratur quidem, ut tamen titulo Stolæ aliquid seu exigatur, seu ex obligatione solvatur, vetitum est.*

l.) *Patres Synodi Quinque Ecclesiensis anno 1711. celebratæ, juxta Péterffy P. II. pag. 421. & seq. Stolæ Solutionem ejusque quantitatem pri-*

mo defixerunt; quæ tamen Constitutio & Regula, qua privata, Conciliorum item & Synodorum Statutis ac Regni Decretis contraria, tollenda, nec ullatenus pro Norma sumenda est. Sed

m.) Stolares Regni Constitutiones, anterioribus factis Sanctionibus conformare, defixæque Stolæ pendendæ Obligationem, ac arbitrariam ejus Exactionem vi etiam art. 16. §. 3. 1550. qui *veteribus sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Institutis insistendum, nec cuiquam, quovis prætextu, ab illis quoquo modo discedendum esse* exigit, simpliciter tollere, Evangelicos autem vi etiam præinductarum Regni Legum, a Stolæ & Lecticalium Catholicis Plebanis solutione, omnique præstatione immunes pronunciare oportet.

n.) Cum quoad Copulationem diversæ Religionis Catholicæ nempe & Evangelicæ Personarum Matrimonium
ineun-

ineuntium, ac earum Proles, res Legibus definita non fit; nisi Personæ tales mutuo Consensu aliud statuerint, Regula fit: ut Copulationem Parochus seu Minister sponsæ peragat; proles autem usque annos Discretionis Masculini quidem in Parentis, fæminei autem sexus in Matris Religione educentur, post annos autem Discretionis aliam etiam amplecti eis liberum fit.

o.) Ut Ministri Evangelici, Dominis Terrestribus Catholicis, & vice versa, uni, vel pro casu, pluribus præsententur, Lege itidem nil dispositum.

§. 20.

Art. 141647. tam contra eos, qui Statuta Regni & Diplomata Regia negotium Religionis tangentia in præmissis violarent, prævia tamen Templorum, aliorumque restitutione, ac transgressorum complanatione, quam

40
— — —
& contra eos, qui illic præscriptam Executionem haud procurarent, Pæna statuitur, idemque etiam art. 26. §. 22. 1681. decernitur.

a.) Justa quidem, sed vana fuit hæc Pænalis sanctio.

b.) Pro futuro, in Negotio Religionis Turbationis, vel Occupationis casu enato, cohærenter provocatis & aliis Regni Legibus, via facti turbatos, & possessorio excussos, erga eorum querelam, Vice-Comites sub Officii & Bonorum suorum ipso facto ammissione ad possessorium illico reponere, ac pro re nata etiam Brachium adhibere teneantur, lesis autem & turbatis ex Possessorio salva sit Actio Violentiæ, ita, ut loco præinducta Legge stabilitorum 600. Rfl. instar Vinculi art. 44. 1609. defixos 2000 Rfl. item Homagia assumptorum, una cum Damni & Expensarum refusione, in
Trans-

Transgressoribus toties quoties delu-
mendi saluum fit.

§. 21.

Art. 82. 1647. Judex & duo Se-
natores Civitatis Cassoviensis, qua Ca-
pita, internam Religionis Libertatem
inter Concives suos opprimentes, com-
perta rei veritate, debita Pæna affici-
endi statuuntur: Art. autem 95. 1647.
decernitur, ut se in Negotio Religi-
onis conditis Regni articulis per omnia
accomodent.

a.) Civitates, non obstantibus qui-
busvis earum Privilegiis, Statutis Dia-
talibus in Negotio Religionis sancitis
se accomodare tenentur.

b.) Contra Civitates Statuta Re-
gni transgredientes, eadem, quæ §. 20.
insinuatur Actio & Pæna stabiliende.

Articuli Diætæ anni 1647. in Ne-
gotio Religionis conditi, confirmantur
art. 10. 1649. art. 18. 1655. ac Dipl.
Leop. anni 1659. cond. 1ma & 6ta.

Art. 25. 1681. Religionis Exerci-
tium juxta art. 1. Pacificationis Vien-
nensis, & art. 1. 1608. ante Coronat.
omnibus, & ubique per Regnum, sal-
vo tamen Jure Dominorum Terrestri-
um, liberum permittitur, & ne ullus
Regnicolarum in libero suæ Religionis
Exercitio quoquo modo turbetur rur-
sus statuitur.

a.) Per Clausulam: *Salvo Jure
Dominorum Terrestrium*, Jus eorum
quoad ea, quæ eis a Subditis, non ob-
stante eorum Religionis Diversitate
Jure

Jure Terrestrialitatis ex Lege competunt, salvatum est.

b.) Ne Domini Terrestres Rusticos in libero suæ Religionis Exercitio & usu quovis sub prætextu, ac quoquo modo turbent, tam provocatis, quam & specialiter art. 5. §. 6. 1647. prohibetur.

c.) Jus in Conscientiam Subditorum, Dominis Terrestribus nullo Jure competit, sed soli Deo.

d.) Omnibus, præcipue vero iis, quorum Conscientiis per Dominos Terrestres, præmissa clausula abutentes vis illata, ac ad hanc, vel illam Religionem amplectendam quaqua ratione coacti sunt, juxta etiam §. 11. prioris Religionis suæ Usus reassumere liberum est.

e.) Ut omnis Disceptatio & abusus removeatur, clausula hæc, vel clarius definiatur, vel qua alioquin superflua tollatur.

Art. 26. §. 21. 1681. Omnibus Magnatibus, & Nobilibus in Regno degentibus, in Arcibus, & Residentiis suis, pro ritu cujusque Professionis, Oratoria, & Sacella ædificare, ac dotare liberum esse decretum.

a.) Libertas hæc, tam Catholicis, quam & Evangelicis Magnatibus, & Nobilibus, cum eos Lex non distinguat, communis & æqualis est.

b.) Ad Oratoria, & Sacella hæc, cum usum eorum Lex pro Domesticis non restringat, nec Jure restringi possit, omnibus ea adire volentibus, juxta etiam art. 7. 1647. salvus est, fecus Leges omnem Turbationem, & omne Impedimentum prohibentes, violarentur.

§. 25.

Articulis 25. & 26. 1681. Evangelici, cum eis in conformitate Publicarum Regni Constitutionum, & eorum Gravaminum haud satisfactum fuerit, testante etiam art. 21. 1687. Contradictione obviarunt.

§. 26.

Juxta art. 21. 1687. articuli 25. & 26. 1681. cum declaratione, quod licet Evangelici per iisdem articulis oppositam suam Reclamationem abutentes, ipso facto eorundem Beneficii participes esse desissent; *ex gratia* nihilo minus *3* *Clementia* *sue* *Majestatis* *ad* *buc.* *ratos* *fore*, ac ad mentem Paternæ Resolutionis (*Cleri, ac aliorum secularium Catholicorum contradictione non obstante*) pro renovatis, & priori firmitati

Reginam (interea eodem Rege Jose-
pho satis functo) 26. Maii 1711.
Cassoviæ, quam & Filium ejus Caro-
lum VI. Regem Hungariæ, 30. Mar-
tii 1712. Viennæ confirmatam, ac
dein etiam art. 49. 1715. stabilitam,
Functo ejusdem gti: *liberum Religionis
Exercitium, secundum Leges, & Con-
stitutiones, ac articulos Regni, tam in
Hungaria, quam & Transylvania, cum
Beneficiis eorsum de Jure spectantibus
stabilitum est, nemini præclusa via
apud suam Majestatem, vel coram
Dieta ratione Gravaminum se se infi-
nuandi.*

a.) Pacificatio hæc, una cum
Juramenti formula, quod præfati Re-
gii Plenipotentiarii, & quidem unice
per Deum vivum præstiterunt, Typis
mandata, ac Subscriptione & sigillo
Caroli VI. Subscriptionibus item Comi-
tis Nicolai Illësházy & Ladislai Hu-
nyadi authentice expedita est.

ferta, etiam de Politicorum Jurium & Legum usu ac intellectu, vi eorundem Diplomatum, inter Regem & Regnum bilaterale pactum constituentium, Regio, & communi Statuum Consensu Diſtalter conveniri debet, qualia bilateralia Pacta etiam inter Catholicum & Evangelicum Status in Negotio Religionis juxta superiora, conclusa, & stabilita sunt. Imo juxta art. 8. 1741. Fundamentalibus Regni, adeoque & Religionis Jura, sub Clausulam illam, *de usu & intellectu Legum* nec sumi, adeoque in contrarium Jure nec disputari possunt.

§. 29.

Juxta eundem art. 30. §. 5. 1715. cum confirmatione art. 23. 1687. in Dalmatiæ, Croatiæ, & Slavoniæ Regnis, soli Catholici Possessionis Bonorum Capaces, juxta autem art.

art. 46. 1741. Officiales œconomici
Dominorum Terrestrium a fide Catho-
lica alieni, in iisdem Regnis Admini-
strationis etiam Bonorum incapaces
esse declarantur; ac juxta eundem art.
30. etiam Privilegia per non nullas Ci-
uitates & Oppida, nec non Commu-
nitates in Hungaria quoque eatenus
impetrata salvantur.

a.) Lex hæc quoad Dalmatiæ,
 Croatiæ, & Slavoniæ Regna, ex in-
 discreto Religionis zelo lata, Pacifi-
cationis Viennensis art. 9. & 10. hanc-
que confirnantibus subsequis Regni
Constitutionibus, & Diplomatum,
 contraria, & alioquin effectû suo de-
 stituta, ex multis gravibus, Regi &
 Regno utilibus causis, relaxanda.

b.) Juxta Dispositionem Legum,
non nisi possessionati Nobiles officiis
applicari possunt: juxta easdem autem
Leges, signanter art. 10. 11. 1608.
ante Coronat. Dipl. Ferd. II. 1622.

Cond. 4. art. 23. 1622. 31. 50. 1635.
 Dipl. Ferd. III. 1638. Cond. 4. art. 62.
 1647. Dipl. Leopold 1659. Cond. 4. art.
 97. 1659. &c. in Regnis Dalmatiæ, Cro-
 atia, & Slavoniæ, officia majora &
 minora etiam Ungaris *abque Religionis*
discrimine conferenda statuuntur, adeo-
 que in iisdem Regnis Evangelicos tam
 Bonorum quam & officiorum capaces
 fuisse, capacesque esse, innegabile.

c.) Per art. 13. 1608. ante Co-
 ronati. art. 44. 1609. 21. 1635. 78.
 1647. 12. 19. 1649. 42. 1681. art.
 36. 1715. statutum; ut Hungaris,
 Germanis, Bohemis seu Sclavis in om-
 nibus Liberis Regiisque, ac Montanis
 Civitatibus, & Oppidis, *abque ullo*
Religionis, vel Nationis discrimine Do-
 mos, & fundos emere, sub Pœna 2000
 Uſ. licitum sit: Statutum præterea iis-
 dem, & aliis Legibus; Privilegia, &
 Libertates, contra Publica Regni Sta-
 tuta iisdem nec concedi posse, nec

con-

concessa valere. Privilegia itaque illarum non nullarum Civitatum, & Oppidorum, nec non Communitatum, velut contra provocatas Publicas Regni Constitutiones impetrata, dispositione etiam art. 11. 2dæ invigorata & nulla sunt.

§ 30.

Juxta art. 1. & 2. 1715. ibique contentum Caroli VI. Diploma, item art. 2. §. 9. 10. & art. 3. 1723. Diætales auctorum 1681. & 1687. Constitutiones & ipsum Leopoldinum Diploma, omnesque Leges & Libertates per Reges Hungariæ concessæ & confirmatæ ratihabentur; prout per Diploma quoque Mariæ Theresiæ Reginiæ anni 1741. art. 2. Cond. Ima in genere confirmatur,

a.) Provocatis art. 1. 2. 1715.
 inserta Clausula: *salvis semper permanen-*
 d 3

nentibus, quæ per ultimas Diætas & Diploma infra scriptum sunt mutata, aut in meliorem formam redacta fuere, Negotium Religionis non tangit; cum sub Diætis annorum 1681. & 1687. anteriores Religionariæ Constitutiones, pro confirmatis, renovatis & effectuandis, non autem mutatis declarentur. Objecta illa, quæ mutata, vel in meliorem Formam redacta sunt, Combinatio Leopoldini & Carolini Diploma, ac art. 2. 3. 4. 1687. specificè designant.

b.) In Leopoldino Diplomate 1659. Cond. 1ma & 6ta Pacificationes *Viennensis*, & *Linczensis*, expresse omnesque articuli in iisdem comprehensi, cum reliquis Constitutionibus Regni, ac inter has annorum 1608. 1647. 1649. confirmantur. Adeoque

c.) Pacificationes *Viennensem*, & *Linczensem*, cum coherentibus fundamentalibus Regni Constitutionibus

bus & Legibus, in Negotio Religionis editis, Carolinum quoque & Mariæ Theresiæ Diplomata ingressas, per eaque confirmatas esse, in nexu clarum est.

§. 31,

Prout Religionum, ita & Civilis ac Politica Libertas Catholicorum & Evangelicorum una & æqualis est. Nam præter Regem, qui ut Romano-Catholicus sit art. 2. §. 17. 1723. statutum, cum omnes Nobiles juxta Tit. 4. 1mæ S. Coronæ Membra, ac vi art. 1. 1608. p. Cor. Status Regni Comnebra; juxta Tit. 9. 1mæ art. 5. 6. 1723. una eademque Libertate provisi; quoad Acquisitionem, Possessionem, & Amissionem Bonorum vi Tit. 13. 1mæ art. 26. 1715. paris Conditionis; pro Regni defensione & securitate æqua ratione ad militandum

art. 8. 1715. obligati (Subditis quoque eorum sine discrimine contribuentibus) eodem Concivilitatis, Congenerationis, Consanguinitatis, & Patriæ Filiorum Fidelitatis vinculo devincti sint: ut omnia Regni & Civilia Officia, *absque Religionis discrimine idoneis conferantur Leges exigunt, & quidem*

In Genere :

Tam *majora*, quam *minora*, etiam *externa*: Pacificationis Viennensis art. 9. & 10. art. 10. 1608. ante Coronat. art. 24. 1609. Dipl. Ferd. II. 1622. Cond. 1. 3. 4. Dipl. Ferd. III. 1638. art. 1. Cond. 1. 3. 4. 5. Dipl. Leopold. 1659. art. 1. Cond. 1. 3. 4. 5. quod Leopoldinum Diploma juxta §. 27. & 30. subsequenter confirmatum.

In specie

Palatinale: art. 3. 1608. ante Coronat. qui in iisdem provocatis Regiis, Diplomatus Cond. 7ma confirmatur.

Coronæ Conseruatorum: Dipl. Ferd. II. & Ferd. III. Cond. 10. art. 3. 1647. Dipl. Leopoldi Cond. 10. Dipl. Caroli VI. 1715. Cond. 2da Dipl. Mariæ Theresiæ 1741. Cond. 2.

Cancellaria & Consilii Hungarici: art. 10. 1608. ante Coronat. art. 8. 1618. 17. 1622. in iisdem Diplomatus Conditione 3. confirmati.

Tabulæ Regiæ, & in Foro Appellationum, seu Septemvirali: Dipl. Ferd. II. Cond. 5. Ferd. III. & Leopoldi idem Cond. 5. Dipl. Caroli VI. art. 1. 2. 1715. vi quorum Diploma Leopoldinum confirmatum.

Praefectura Confiniarum, & Capitaneatus, tam in Hungaria, quam & Dalmatia, Croatia, & Slavonia, Pa-

cificationis Viennensis, art. 9. & 10.
 art. 10. 11. 1608. 23. 1622. 16. 1625.
 Dipl. Ferd. II. Cond. 4. art. 31. 50.
 1635. Dipl. Ferd. III. Cond. 1. 4.
 art. 17. 18. 1638. art. 62. 63. 1647.
 Dipl. Leopold. Cond. 1. 4. art. 97.
 1659. 70. 1681. quæ subsequē juxta
 §. 27. & 30. confirmata.

Præfecturæ Tricesimarum, & Ca-
meræ Hungariæ, earumque officiolatus,
 art. 5. 10. 1608. ante Coronat. art.
 21. 1609. art. 17. 24. 1622. art. 33.
 1625. art. 13. 1723.

In Civitatibus Liberis Regiis, &
 Montanis, ac Oppidis, *Officia, Ju-*
dicis primarii, Senatorum, & aliæ quæ-
vis Civiles Dignitates: art. 13. 1608.
 ante Coronat. art. 44. 1609. art. 78.
 1647. art. 12. 1649. art. 62. 1655.
 art. 36. 1715.

a.) Cum juxta provocatas Le-
 ges, pro Officio tam Palatini, qui
 primus post Regem, & unus, quam
 &

& Coronæ Conservatorum, qui duo esse solent, *ex Catholicis duæ, totidemque ex Evangelicis Personæ*, per Regem Statibus Regni proponendæ, ex iisque iidem eligendi, ad reliqua autem quævis Officia, *sine Religionis discrimine, idonei in genere applicandi* statuuntur: Evangelicos quoad prima eminentiora Regni Munia, quæ duntaxat uni, vel paucis conferuntur, Catholicis prorsus æquali Concandidationis & Applicationis Jure gaudere, nec infra æquam dimidietatem eos in iis Jure restringi, pro reliquis autem Officiis, eos pro ratione idoneæ qualitatis etiam ultra præstabilitam Medietatem, neququam vero infra eam candidari, applicarique posse, & debere, eadem Leges omnem dubietatem tollunt. Medietas hæc expressa Lege, & re firmata.

DE APOSTASIA.

Transitus in Regno Hungariæ ex Evangelica ad Catholicam Religionem, & vice versa, Apostasia non est.

1. *Apostasia est, qui ab ægnita Religionis Christianæ veritate malitiose deficit, & Religionem non-Christianam amplectitur. Hinc*

2. *Transitus ex una Christiana Religione ad aliam æque Christianam Apostasia non est.*

3. *Fides Christiana Catholica & Apostolica quæ sit? S. Steph. Deer. Lib. 1. Cap. 1. juxta Symbolum Athanasii explicat, hanc quia & Romano-Catholica, & Evangelica Religio firmiter credit, utraque Catholica & Apostolica est: qui autem hanc non credit, is juxta citatum Locum Hæresiarcha & Apostata est. Adeoque*

4. Ex Evangelica ad Catholicam, & vice versa ex Catholica ad Evangelicam Religionem sponte transiens, Hæreticus & Apostata non est, ut ut Religiones easdem profitentes in Mysteriorum nonnullorum Explicatione, & quibusdam disputabilibus Principiis haud conveniant.

5. *Libertas Religioni Christianæ ex indole sua ei propria*, Constitutionibus etiam Regni Hungariæ, eadem Evangelicæ, quæ Catholicæ plene admissa est, Pacificationis Viennensis art. 1mo art. 1. 1603. ante Cor. & vice versa art. 29. §. 1. 1622.

6. Admissa est omnibus ita, ne ullus usquam & unquam in Religione sua, seu per Regem, seu per alios quoscunque turbetur, aut impediatur. Eod. art. 1mo Adeoque

7. Quidquid in Religione Turbationem, & impedimentum quaqua ratione causare posset, id omne a Religio-

gionis Libertate remotum est. Per Pœnam autem etsi levem, contra eos, qui ex una Christiana, & Legibus recepta Religione, ad aliam transire volunt statuendam, Libertati Religionis Impedimentum poni innegabile est.

8. Libertas hæc Religionis ita admissa est, ut sua Jura cuique salva maneant, nec his præjudicium quodpiam per eam inferatur. Sed Religio Christiana alioquin cuique suum relinquit & tribuit.

9. *Ut Religio cuique eam sponte ac libere acceptare volenti, ubique libera, liberumque ejus Exercitium relinquatur, nec ullus in libero ejusdem Exercitio a quoquam impediatur, art. 1. 1608. ante Coronat. statutum. Itaque*

10. *Ut quis seu Catholicam, seu Evangelicam Religionem acceptet, & profiteatur, liberæ & spontaneæ cuiusque*

jusque voluntati relinquatur, ac omne Impedimentum tati liberæ voluntati poni prohibetur.

11. Dum quis ob liberum liberæ voluntati a Religionis actum, cuiusdam Apostasiæ Crimini, & Pænæ subicitur, actus talis non libere sed cum metu Pænæ fit, libera voluntas autem Pænam horret, & excludit.

12. Religioni, ejus acceptationi, & Confessione, per Leges publicas non nisi in tantum Impedimenta poni & pænæ adjungi possunt, si & inquantum fini & securitati Reipublicæ contraria & perniciofa Dogmata traderet, qualibus Evangelica, prout Catholica vacua est.

13. Veræ Religionis Character juxta art. 6. 1548. art. 13. 1550. est, quæ Doctrina & Prædicatione, moribus item, & Exemplis propagatur.
A deoque

14. Religio, quæ alia, nempe Coactiva, & Pœnalia media, seu in propagatione, seu in manutatione eam profitentium adhibet, veritatem Religionis suæ suapte dubiam reddit, ino veram non esse ipso facto confitetur.

15. Omnis Veritas intellectu comprehendi debet, Intellectus autem Pœna & Coactione non illuminatur, nec de veritate convincitur.

16. Contra Anabaptistas, si quem Christianum reciperent, vel rebaptifarent, art. 26. 1635. pœna pecuniaria statuta est, ex ratione: *si quidem ad tempus tolerati fuerint*: contra receptum vero nulla pœna decreta. Evangelici autem Solemnibus Pacificationibus, Regiis Diplomatum, & Regni Constitutionibus, cum libera Religionis suæ Professione, & Spontanea ejus acceptatione recepti sunt, in hisque nec recipientes, nec recepti puniendi ordinantur.

17. Per Pacificationem Nielsburgensem art. 4. 6. & 29. §. 1. 1622. provocatam, & confirmatam, in Comitatibus Hungariæ, Principi Transylvaniæ Gabrieli Bethlen cessis, dum juxta eundem art. 29. §. 1. *liberum etiam Catholicæ Religionis Exercitium admissum*, eadem, & æqualis Libertas utriusque Evangelicæ nempe & Catholicæ Religionum stabilita, nec uni præ altera Eminentia quæpiam concessa, quæ Libertatis æqualitas Apostasiæ etiam reatum utrinque æqualiter tollit.

18. Per Pacificationem Linczensensem art. 5. 1647. insertam, & approbatam, præter id, quod liberum Religionis Exercitium stabiliatur, Puncto 2do statutum: ut in libero suæ Religionis Exercitio & usu per quempiam impediti, coacti, & turbati, liberum *Religionis suæ usum reassumere & exercere permittantur. Adeoque*

19. **Exercitium Religionis** adeo liberum esse debere, decernitur; ut omne Impedimentum, omnis Coactio, omnis turbatio penitus abesse debeat. Si autem, Pœna contra Evangelicam aut Catholicam Religionem amplecti volentem statuatur, in hoc libero voluntatis actu metu subeundæ Pœnæ impediatur, turbabitur, & ut seu Voluntati & Conscientiæ suæ vim inferat, seu ad Pœnam subeundam eam invitus determinet, necesse.

20. Omnis, qui seu ob cuiuspiam Impedimenti positionem, seu coactionem, seu Turbationem, priorem suam Religionem deseruit, & aliam amplexus est, priorem libere reassumere & exercere potest, nullaque ideo Pœna afficiendus ordinatur.

21. Religio, a qua animus eam profitentis aversus est, in hypocrisim degenerat, quæ in Religione & Societate perniciosa est.

22. Eodem art. 5. Puncto 1mo & 2do 1647. decretum; ne quisquam in libero suæ Religionis Exercitio a quoquam quovis modo, aut quovis sub prætextu turbetur & impediatur: talis modus autem & prætextus est prætensa Apostasia, ejusque Pæna.

23. Si juxta eundem articulum, item art. 8. 1647. 25. 1681. nemo vel ad Cæremonias Religionis suæ contrarias compelli potest; eo minus ad id, ut quis in ea fide & Religione quam contra Conscientiæ suæ dictamen profitetur maneat, nec aliam, erga quam ut rectiorem in sua Conscientia ducitur, libere amplectatur, metu & Pæna Apostasiæ compelli potest.

24. Juxta etiam art. 82. 1647. interna Religionis Libertas, nec per Magistratuales turbari, nec ulla pæna tali, qui illa utitur, per eos Jure irrogari potest.

25. Juxta art. 44. 1609. art. 14. 1647. Pœna contra eos statuitur, qui aliquem in libero Religionis Exercitio turbaverint; contra eos autem, qui vj liberi Religionis Exercitii Evangelicam vel Catholicam deserendo, aliam ex iis amplecterentur, nulla Legibus statuta est Pœna.

26. Pœna Apostasiæ anno 1731. per Resolutionem Caroli VI. primo statuta est, quæ tamen qua unilateralis, Pacificationibus Viennensi, Niclsburgensi, Linczensi, & Szathmariensi, Regiis Diplomatum, & Regni Constitutionibus easdem confirmantibus adversa, ac Evangelicis injuriosa, conformitate art. 22. 1604. qui velut extra Diætam, & sine Evangelicorum assensu adjectus Pacificationis Viennensis art. 1. tollitur; virtute item art. 5. Puncti 1. 1647. qui omnes similes Regni Statutis contrarias Interpretationes pro non obstantibus declarat, ac vi ejusdem art. Puncti 4. Re-

Religionis Gravamina Evangelicorum
 plene & absque eorum injuria compla-
 nari jubentis, nullam Normam, nul-
 lam Obligationem Jure ponit, aut po-
 nere potest.

27. Instructio in Dogmatibus Re-
 ligious, quam quis deserere vult,
 antequam aliam amplectatur, præmit-
 tenda, cum Religionis Libertate, si
 sincera, moderata, omni specie co-
 actionis, seductionis, Vexæ, metus,
 & Oneris vacua est, conciliari, secus
 autem neutiquam admitti potest. Sex
 Septimanarum Instructio, diuturna,
 cum onere, tædio, & sæpe neglectu
 ac Jactura rei Domesticæ conjuncta,
 Religionis & Conscientiæ Libertati
 Impedimentum, ac eam Coactionis spe-
 ciem infert, ut multi in Religione,
 quam interne averfantur, inviti perse-
 verare, quam id Onus subire malint.
 Hanc sex diebus, seu duodecim ho-
 ris, sub præmissa Cautela, instituisse

sufficiat, ea ratione, ut durante ea, In-
structionem suscipienti, & fors ad Scru-
pulos conjecto, illius etiam Religio-
nis, quam amplecti vult, Instructorem,
sine sui Capacitationis adire liberum sit;
ex Parte Catholicæ & Evangelicæ Re-
ligionis Instructio hæc æqualiter ob-
servetur; ac si instructus & tantisper
placatus, successu temporis porro ean-
dem aliam Religionem amplecti volu-
erit, id sine ulteriori Instrukione &
Impedimento, libere facere valeat.

ERRATUM.

Pag. 16. ad §. 9. post. Lineam 2.
Syllabam Re- addendum:

gni publicis Constitutionibus inferuerunt, idque Contradictionibus Cleri & aliorum Sæcularium Catholicorum non obstantibus, imo iisdem in perpetuum pro nullum vigorem habentibus declaratis acceptarunt, & approbarunt, sua Majestas autem in Verbo suo Regio, & bona fide Christiana ad ejus sanctæ Observationem, ac ut per alios &c.